

**Disputatio medica inauguralis, de variola ... / eruditorum examini subjcit
Josephus Clarke.**

Contributors

Clarke, Joseph.
Yelloly, John, 1774-1842
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Georgii Mudie et filij, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ybbrwrqj>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


Tracts 1789 (1)

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.



Joanni Yelloh M. D.

In magnae erga eum
amicitiae testimonium

Ab auctore. —

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS CLARKE

ANGLO-BRITANNUS

Νῆσον ἀνὰ στρατὸν ὄρσε κακὴν ὀλέκοντο δὲ λαοί.

HOMER. ILIAD, lib. I.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY

STUDIES IN THE HISTORY OF PHILOSOPHY

AND

SCIENCE

EDITED BY

ROBERT C. MARSHALL

AND

JOHN D. GOheen

PATRI SUO OPTIMO

INDULGENTISSIMOQUE,

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM PIETATE,

ANIMI GRATI

PEREXIGUUM EHEU!

SIGNUM;

OFFERT

FILIUS AMANTISSIMUS,

JOSEPHUS CLARKE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1200 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3700
WWW.CHICAGO.EDU

PRAECEPTORI SUO,
JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINAE PRACTICAE

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI, &c. &c.

HOC OPUSCULUM

ANIMO QUAM GRATISSIMO

SACRUM VOLUIT.

A U C T O R.

Cujus rei non est certa notitia, ejus opinio certum
reperire remedium non potest. Verumque est ad ipsam
curandi rationem, nihil plus conferre, quam experien-
tiam.

CELSUS, *lib. I. p. 10.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

JOSEPHO CLARKE, AUCTORE.

PROËMIUM.

MORBUS de quo hic agitur, medicorum attentionem optimo jure sibi vindicat, sive ad stragem ab eo editam, sive ad superstites, qui olim eo laborarint, spectemus, quorum os et vultus, licet antea pulcherrima, misere deformata sunt. Præsenti tamen nostra prophylaxis scientia, vastationibus illis horrendis obviam ire facile possumus; ratio enim inoculandi, morbum adeo levem efficit, ut vix, ac ne

vix quidem ullum periculum ab eo sit metuendum.

Hoc quantumvis videatur absurdum re tamen quodammodo fit, tot fere, quot ante inoculationem usitatam, morbo illo hodie mori. Haud quidem negatur, inoculatos plerumque convalescere, usus vero, morbum latius diffundendo, multo magis lethalem efficit; et donec impedimenta illa, quæ inoculationem generalem remorantur, amota fuerint, medendi ratio in *Variola* naturali unde mortalitas oritur, qualis morbum ad exitum optatum certissime perductura, est adhibenda.

De hac re multi haud obscuræ famæ medici et cogitarunt et scripserunt; variæ autem eorum sententiæ, rem magnopere dubiam reliquere: idoneus itaque tractandi modus, regimine frigido excepto, incertus omnino videtur, et usque donec experientia *Tyronem Medicum*
magis

magis habilem reddiderit, dubitat quem modum generalem sequi oportet.

Hoc tentamen si ad praxin certam et auspiciatam spectare videatur, laus, Professoribus almæ hujusce Academiæ celeberrimis, unice debita est, quibus me devinctum habeo pro notitiis illis in re medica, quibus adhuc imbutus sim.

De *Variolæ* origine nihil certi omnino traditum est, ejus enim contagio ex causis tam inauditis orta esse videtur, ut conjecturam fanam prorsus vincat. Quanquam multum laboris solertiæque huic rei investigandæ impensum sit, causæ tamen adhuc datæ plane ineptæ et inanes videntur: et haud mirum esset, si diligentissimam inquisitionem nostram penitus superarent.

Medicos Græcos et Romanos hunc morbum, omnino ignorasse, et haud quidem temere,

videtur; morbos enim ipsis notos, tanta cura depinxerunt ut eos hodie facile cognoscamus. Quoniam igitur de morbo tam lethali et singulari siluerunt, credendum est, temporibus illis ignotum esse.

Prima morbi hujusce exitialis notitia, nobis a RHAZE medico Arabico tradita est, qui medicinam apud BAGDAT circiter decimi seculi initium exercebat. Ille autem memorat AARONEM medicum Alexandrinum, hunc morbum sub initium septimi seculi, primo descripsisse, et DOCT. FRIEND* qui hanc rem diligentissime et eruditissime investigavit, variolam in ÆGYPTO, florente OMARE MAHOMEDI successore, primum extitisse putat. Quamvis haud dubium, GRÆCIS eam penitus ignorantibus, quin ARABES, qui primo a locis orientis remotioribus habere potuissent, contagionem ex sua patria exportarint.

Recentibus

* Vid. FRIEND'S *History of Physic*, p. 189.

Recentibus intrepidi BRUSSII nostri investigationibus apparet, morbum in ARABIA apud ABYSSINIOS in obsidenda MECCA, ABREHA duce, initio seculi sexti primum exortum esse*. Ingentem quidem et potentem exercitum Meccam obsedissee, eo animo ut religionem Christianam constituerent, bene notum est †; narratur etiam eum inopinato fusum esse: et haud quidem procul a vero videtur variolam inter eos erupisse clademque dedisse, quoniam allegoria Arabici auctoris aliquem hujusmodi morbum præ se fert. Utrum vero morbus in ASIA vel AFRICA ‡ primum apparuerit, non liquet, et res quidem ipsa parvi momenti est.

Inter secula media tanta ignorantia et barbaritate obruta, hoc æque ac res majoris ponderis,

* Vid. *Travels to discover the source of the Nile*, vol. 1. p. 114.

† Vid. GIBBON'S *Decline and Fall of the Roman Empire*, vol. 5. p. 197.

‡ Vid. MEAD. *De Variola*, p. 7.

deris, propter causas abunde notas, caligine prorsus abditum reperimus. Verisimile autem est, contagionem ante seculum undecimum vel duodecimum per EUROPA M non diffusam fuisse *, ubi postea mira celeritate et pernicie grassata est, et inter plurimas illas calamitates, ex fanaticis sanctorum incursionibus ad SANCTAM TERRAM, ortas, facile enumerari potest.

DEFINITIO.

CULLENUS nuper Professor celeberrimus noster, *Variolam* ad classem pyrexiam et ordinem exanthemata refert, et hoc modo eam definit.

“ Synocha contagiosa cum vomitu, et ex
“ epigastrio presso, dolore.

“ Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio
“ papularum

* Vid. MEAD, cap. 1. p. 8.

“ papularum phlegmonodearum ; quæ, spatio
 “ octo dierum, in suppurationem, et in crustas
 “ demum abeunt, sæpe cicatrices depressas,
 “ sive foveolas in cute relinquentes *.”

Variolam in duas species, nempe *discretam* et
confluentem divisit, et hoc modo eas, descripsit.

I. “ Variola (*discreta*) pustulis paucis, dis-
 “ cretis, circumscriptione circularibus, turgidis ;
 “ febre eruptione facta protinus cessante.”

II. “ Variola (*confluens*) pustulis numerosis,
 “ confluentibus, circumscriptione irregularibus,
 “ flaccidis, parum elevatis ; febre post
 “ eruptionem perstante.”

Aliæ divisiones, ex varia morbi facie qualis
Crystallina, siliquosa, verrucosa, sanguinea, &c.
 factæ sunt.

HISTORIA

* Vid. CULLEN, *Synops. Nosolog. Method.* tom 2. gen. xvi.

HISTORIA MORBI.

Variola, quibus annis epidemice grassatur, circiter equinoctium vernale plerumque incipit. SYDENHAM hæc verba habet *, “ *Variolæ* quibus vero annis non tantum grassantur epidemice, sed et irregulares et periculosioris sunt generis, maturius nonnunquam, mense puta Januario, invadunt.” Nihilominus morbus haud raro accidit sporadicus.

Variola cum *discreta* est, languor et lassitudo aliquot dies persistentia morbum anteeunt, quibus indicia seu symptomata pyrexiae succedunt, ubi vicissitudines caloris frigorisque celeres facile observari possunt. Hæc febris *synocha* est; sitis, anxietas, inquietudo, capitis, dorsi et lumborum dolor, haud tamen persistentia; nausea etiam et vomitus et dolor epigastricæ regionis pressæ, occurrunt. Hæc au-

tem

* Vide SYDENHAMI *opera*, cap. ii. p. 122.

tem stupor aut torpor, praecipue in infantibus sequuntur, qui sternutatione quoque, convulsionibus, aut *Morbo Comitiali* saepe afficiuntur; in puberibus magna ad sudorem proclivitas, praesertim si in lecto se teneant, observari potest.

Die tertio aut quarto, nonnunquam etiam serius, eruptio apparere incipit, quo tempore omnia symptomata seu indicia levantur aut prorsus abeunt. Haec primo in facie, collo, pectore, et lacertis, deinceps in ceteris corporis partibus, quasi parvae et rubrae papulae, quae paulatim crescunt in discretas et distinctas pustulas, fauciumque dolore in horas augente, et salivae excretionem comitatas, apparet.

Quinto die eruptio plerumque completa est, et si copiosa sit, tumorem faciei, praecipue palpebrarum, quae saepe adeo tumefactae sunt, ut oculos penitus occludant, haud exiguum exci-

tat. Hoc abeunte, manuum pedumque dorsum etiam tumescit.

Sub diem quintum vel sextum vesicula liquorem pellucidum continens, in uniuscujusque papulae apice apparet, quae obscura et albida, tandemque flava, sensim evadit. Ima pustularum pars, circumscriptione circulari et rubicunda ab initio circumdata est, cumque pustulae sint multae, inflammatio quaedam per cutem contiguam diffunditur, qualis ei damascenae rosae colorem dat.

Die decimo vel undecimo, faciei tumor minui et pustulae quae apparent plenae, nigrescere incipiunt. Paulo post sua sponte rumpunt, et puris congesti aliqua pars exudat, quo exsiccato, crusta fit; quod autem in pustulis relictum spissatur atque indurescit. Paucis diebus, crustae pustulaeque induratae decidunt; cutis autem subtus fusca et rubra est, neque colorem suum pristinum cito recuperat.

In membris pus saepe absorbetur et pustulae quasi vesiculae vacuae fiunt. Cum pustulae in facie plurimae sint, nonnihil pyrexiae die decimo vel undecimo apparet; in *Variola* autem *discreta* raro permanet, quum pustulae satis maturescunt.

Variola confluens eadem signa ac *discreta*, sed multo graviora, aliis etiam additis, habet. Febris imprimis magis vehemens, synochusque plerumque est, quae serius ocius in *typhodis* formam evadit. Coma gravius neque raro delirium supervenit. Parvulos infantes primis morbi diebus convulsiones invadunt, eosque antequam ulla eruptio apparet, saepe abripiunt, aut *Variolam* valde confluentem et putridam antecedunt*.

Eruptio plerumque incipit tertio mane, quam *Erysipelatosam exanthema* praecedit aut comitatur, quod sese in facie, collo et pectore osten-

* Vid. CULLEN'S *First Lines*, vol. 2. p. 156.

dit, nonnunquam etiam totum corpus pervadit, ex quo pustulae brevi oriuntur. Aeger aliquantum eruptione levatur, attamen febris magis perstat quam in *Variola discreta*. Pustulae praesertim faciei nunquam tam elevantur quam in discreta, sed permanent depressae, et complures in unam saepe confluunt, adeo ut facies una vesicula prorsus obtecta videatur.

Reliquarum corporis partium pustulae magis distinctae quam faciei, sed nunquam adeo maturae, neque pus aequè spissum fit ac in *Variola plane discreta*, circumscriptione circulari et rubicunda etiam caret, atque cutis pallida et flaccida devenit. In hac specie est semper faciei tumor multo major quam in altera; totum quoque corpus haud raro tumescit. Fau-
cium tumor item gravior, cum torpore et deglutitione difficili. Aeger aliquando vix deglutire potest, et quicquid liquoris bibere conatur per nares reddit. Aetate provecioribus salivae excretio semper adest; initio tenuis est et facile expuitur;

expuitur; at undecimo fere die, adeo lenta fit, ut aeger vix queat exscreare*.

Infantum, qui confluentibus variolis corrumpuntur, alvus plerumque vehementer profluit; attamen neque tam mature, neque tam certo, quam adultorum ora supra consuetudinem salivant. Verum ventris proluvies, quocunque temporis incipiat, nisi opportune cohibeatur medicamentis, aegrotos, per reliquum morbi tempus, solet vexare, viresque exhaurire.

Circa diem septimum pustularum liquor mutatur a pellucido ad obscurum et fuscum colorem, sed nunquam colorem flavum, neque spissitatem, qualem species discreta adipiscitur. Faciei tumor die decimo vel undecimo minuitur, quo tempore, vesiculae disrumpuntur, et pus suum effundunt, quod fuscas aut nigras crustas format, quibus decedentibus, partes saepe

* SYDENHAMI *opera* p. 138.

saepe fiunt squamosae et cicatrices seu foveolas relinquunt.

Sub finem octavi diei, gravia symptomata oriuntur, accessione febris quae secundaria tunc vocatur. Pulsus crebriores et duriores observantur, corporis calor haud parum augetur; cum siti, multa anxietate et inquietudine, capitis dolore, et delirio, urina sanguine tincta aliisque *Haemorrhagiis*. *Petechiae* saepe occurrunt, et vesiculae aquosae, sub quibus partes ad gangraenam proclives apparent, quae, aliis symptomatibus etiam adjunctis, aegroti dolores simul cum vita extinguit.

DIAGNOSIS.

Variola primo *Rubeolam* aliquando refert; vox autem rauca, tussis sicca, dyspnoea, simul cum oculis tumidis et inflammatis, *epiphora*, *coryza*, sternutatio frequens in *Rubeola* morbos sat plane

distinguunt

distinguunt. Praeterea in *Variola* eruptio die uno vel altero prius fit quam in *Rubeola*: et pustulae plane elevantur et suppurantur.

Varicella quidem pro *Variola* multo facilius haberi potest; illa autem pyrexiam levissimam tempus incertum persistentem, fere semper sequitur. Eruptio quoque in vesiculas citius transit, in quibus humor limpidus permanet, neque colorem aut spissitatem, qualem in *Variola* videre solemus, acquirit. Crustae denique tribus aut quatuor diebus, post pustularum eruptionem formantur*.

Ab *Erysipelate* secernitur eo quod erysipelas tumore et rubedine, potius quam eruptione, stipatur. Qui semel hos duos morbos vidit, eos ab invicem non distinguere nunquam periclitatur.

DE

* Vid. HEBERDEN in *Med. Transact.* vol 1. art. xvij.

DE VARIOLAE CAUSIS.

Haud dubitari potest, quin propensio ad morbum in corpus recipiendum necessaria sit. Haec autem omnibus cujuslibet aetatis et temperamenti hominibus fere semper inest. Quin et foetus in utero morbum a matribus accepisse cognitum est*. Immo secundum aliquos auctores †, dum matres, morbo olim accepto, per omne graviditatis tempus immunes manserunt, ii contagionem interdum accipiunt.

Nonnullos tamen *variolae* contagionem per totum vitae spatium omnino effugisse, constat. Talis vero corporis status haud perpetuus in illis singularibus videtur, nam aëre, loco, tempestate,

* HUNTER. WRIGHT. PEARSON, &c.

† Vid. MEAD. *De Variol.* Cap. 4. p. 66. VAN SWEITAN.

pestate, victusque genere mutatis, corpus tandem adeo mutatur, ut illi etiam obnoxium fiat.

Unde haec propensio oriatur, haud facile dictu est, quatenus enim videre licet, a nullo morbido corporis affectu pendet.

Satis constat contagionem causam morbi excitantem esse, quamvis hoc a quibusdam magni nominis auctoribus negatum est. Qui quidem *Variola* primo laboravit, ex contagione eam habere non potuit. DOCT. THOMSON notat*, causas inflammationem excitantes aequae ac valida exercitatio, liquorum ardentium haustus, morbum inducere posse. Bene notum est, has aliasque causas, ut malum victum, imo etiam timorem, tristitiam†, homines ad contagionem magis proclives, morbosque hujusmodi, multo magis exitiales, facere.

C

doquidem

* Vid. THOMSON'S Inquiry into the Origin, Nature, and Cure of the *Small Pox*, p. 39.

† Vid. VAN HELMONT *Tumul. pestis*, p. 871.

doquidem vero contagionem effugere vel inducere quum velimus, possumus, nil dubium quin contagio causa excitans sit.

Celeber CULLENUS *, *Variolae* contagionem quasi fermentum humani corporis fluidis fieri, magnamque eorum partem sibi assimilare, putabat. Haec opinio fortassis a vero haud procul absit, quamvis res ipsa unde analogia petita est, eandem similitudinem minime servat. CRUIKSHANKS observat † quandem fermentationem in vivo corpore existere posse, neque ebullitionem motumque manifestum ad eam constituendam esse necessaria.

Generatio puris, ex suppuratione phlogistica in corporis superficie, materia in sanguine formata illic perducta, irritationemque necessariam excitante, oritur. In *Variola inoculata*, contagio pure tantum transfertur, quae quidem in naturali,

* Vid. *First Lines of the Practice of Physic*, vol. 2. p. 165.

† Vid. *Anatomy of Absorbing Vessels*, p. 103.

naturali, corpus alio modo inficit, et quamvis mira ejus tenuitate, sensus nostros eludit, eam vero existere haud dubium est, quandoquidem ejus effectus sat plane videmus. Huic opinioni licet nonnihil objici possit, ex toto tamen omnibus aliis adhuc datis, magis verisimilis nobis videtur.

Praecipua *Variolae* diversitatis causa ad corporis conditionem fortasse referri debet. In specie *discreta* et leviori, paululum tantum sanguinis assimilatur, in *confluenti* autem et *maligna*, quippe qua proclivitas est major, uti in temperamentis sanguineis et putridis; calore etiam, intemperantia, exercitatione nimia, aëre stagnante aut humido aliisque adjunctis, contagioni minus resistitur, ideoque assimilatio major et morbus gravior oritur.

CULLENUS* etiam quantitatem materiae morbidae assimilatae, ratione ad uniuscujusque cor-

* Vid. *First Lines*, p. 165.

poris magnitudinem habita, eandem fere in omnibus esse, eamque e corpore, partem cutis halitu, partim in pustulas depositam, exire putabat; cutisque conditionem sat plane monstrare plus minus *Variolae materiae* ibi haerere aut permeare; observari etiam potest, iis quibus cutis constricta et impervia est, pustulas numerosiores, ideoque morbum graviorem esse, quam quibus cutis adeo pervia est ut liber exitus materiae fiat.

VAN SWIETAN narrat*, aborigines rudes AMERICAE SEPTENTRIONALIS, qui corpora sua pigmento et adipe oblinunt, ubi variola correpti sint, raro convalescere, et rudes Carpathiorum montium incolas quorum corpora robusta sunt et exercitatione indurata, calido balneo aliisque modis, quibus *Variola* laborantium perspiratio augeatur, uti, quod plerumque optime succedit. Materiam morbidam perspiratione exhalari a peculiari

* SWIETAN *Comment.* in BOERHAAV. 1394. aph.

peculiari ægrotantium foetore, colligendum est.

Haec opinionem supra dictam certe roborant; praeterea autem observari potest, pustulas in facie, quae semper nuda est, cutisque magis impervia quam aliae corporis partes, numerosiores esse. MONTICOLAE SCOTICI quippe quorum genua, crurum, femorumque pars vestitu nuda est, eas partes aequae ac faciem, reliquo corpore fere immuni, pustulis coopertas, habent.

Utrum pustulae viscera, partesque internas invadunt, inter medicos parum convenit. COTUNNIUS supra quadraginta homines qui diem *Variola* obierant, eo animo incidit ut litem discerneret, sed contra observationes AVICENNAE, FERNELLII, KERCKRINGII, MEADII, BOERHAAVII, aliorumque ne vel minimum earum in partibus internis vestigium invenit. In nonnullis exemplis, eas in palato, uvula, lingua, inter genas, et in membrana tracheae usque ad tertiam

ramorum

ramorum bronchiorum divisionem, notavit; nullas autem in oesophago aut urethra vidit. Rarum exemplum memorat, “ Etenim vidi
 “ puerum ani prolapsu laborantem variolis pre-
 “ hensum, in quo tota recti inversa pars et
 “ aëri exposita pustulavit*.” Inde liberum aëris aditum ad eas gignendas esse necessarium, colligebat.

Quamvis plerisque hodie persuasum sit, viscera pustulis non esse infecta, res tamen in quibusdam animalibus sese aliter habere videtur: incidendo enim Psittatco, qui *Variola confluenti* mortuus erat, guttur, ventriculus, totaeque primae viae aequae ac corpus externum, pustulis obsita sunt comperta †.

Vulgo creditur, eorum, qui *Variola* semel laborarint, dispositionem ad eam accipiendam penitus deleri, neque eos iterum infici posse;

sed

* Vid. COTUNN. de sede *Variol.* sub. 59. p. 152.

† Vid. HOLWELL'S Account, p. 25. note.

sed quaedam exempla narrantur hominum qui morbum iterum vel etiam tertium habuerunt. Exempla hujusmodi certe rara sunt et fortasse dubia, et *Varicella* aut aliï morbi pro *Variola* habiti fuerunt.

PROGNOSIS.

Quando *Variola* lenis et *discreta* est, febris cum eruptione levis, et pustulae in facie paucae, tam parum periculi habet ut medici ope vix egeat. In *confluenti* autem, cumque febris symptomata gravia, periculum inde est semper metuendum.

Quo medicus prognosin rectam habeat, res varias animadvertere eum oportet. In aegroto qui bono corporis habitu, ab omni avito aut fortuito morbo immuni, usus est, exitus felicior expectandus, quam in illo qui sese aliter habet. Multum quoque ab aëris statu, et anni tempestate

pestate pendet, haec enim magnam in morbis epidemicis vim habere videntur. Sydenhamus notavit *Variolam* plurimos autumnno interficere, sed numerum aegrotorum appropinquante hyeme, minui, iterumque vere stragem renovari.

Infantibus praecipue, aliisque haud raro, convulsiones per febrem quae eruptionem antecedit, occurrunt. Si paroxysmus unus vel alter vespere ante eruptionem apparet, levem morbum indicat; si autem citius, vehementius crebroque fiunt, non sine multo periculo sunt. Si febris, eruptione finita, non evanescat vel saltem remittat; praecipue si die octavo et undecimo febris, *secundaria* tunc dicta, saevire incipiat; quando haec observantur, eventum infelicem semper minantur.

In *Variola confluyente* nunquam non periclitatur aeger; multum intenditur periculum delirio, accessibus *Epilepticis* remediis ordinariis

non debellandis, sanguinis in capite vel pulmonibus congestione. Si pustulae die octavo circa bases lividae sint, si materia ichorosa vel subnigra repleantur, si post eruptionem recedant, si petechiae per intervalla appareant, vel si sanguis ex diversis corporis partibus profluat, denique si symptomata putredinis in excretionibus observatur: quo plura horum symptomatum simul apparent, eo magis imminet periculum.

MEDENDI RATIO.

Primo statim *Variolae* incursu, regimine antiphlogistico utendum est. Aeger *aëri frigido* libere exponendus, et acidum refrigerans large sumendum. *Caro, Vinum*, et quicquid calorem moveat omni modo evitanda. *Aer* in cubiculum admittendus, neque multa stragula, dum aeger lecto jaceat, utenda. Validam exercitationem effugere, sub dio autem, si possit ambu-

lare debet, et curandum, ut mentem placidam teneat.

Si alvus adstricta est, laxanti enemate primo solvi debet, posteroque die purgatio refrigerans adhibenda: et quando morbus levis et benignus est, vix alio remedio opus erit. Cum autem morbus gravior est, aeger majori cura tractandus. In morbi initio, ut febris eruptionis minuatur, imprimis curandum est; et fortasse nihil magis ad hoc, quam *aër frigidus* confert. Salutares ejus effectus sane mirabiles sunt, ab eo enim pulsus rarior fit, omniaque symptomata, potenti et salutifera ejus vi, mirum in modum mitescunt.

Ubi pulsus frequentior et durior, sitis urgens, vultus rubore suffusus, oculi inflammati, respiratio accelerata, cum capitis lumborumque dolore, delirio, aliisque hujusmodi, missio sanguinis in aegroto florente praesertim aetate et sanguineo corporis habitu, prorsus necessaria videtur:

videtur : nisi autem magnum periculum imminet, sanguinem semel mittere sufficiet.

Cavendum semper ne specie inflammationis decepti, statum debilitatis, fortasse et putredinis quoque instantem et multo frequentiore, et majoris momenti, male negligamus. Aegri vero conditio plerumque satis manifesta est. In debili, laxo, et irritabili habitu, sanguinis detractio, quanquam symptomata gravia appareant, admodum alienum foret.

Purgatio in hoc morbi statu multum prodest, at laxantia mitiora ad hoc maxime idonea, quales *neutri sales*, *senna*, aliaque hujusmodi; aut forsitan *laxantia enemata*, quippe quae aegrum minus debilitant, meliora sint.

Per eruptionis febrem, *Convulsiones* adultos raro, infantes vere saepius vexant. Hae si tantum semel aut bis occurrant, haud magnum medici auxilium postulant; si vero maturiores, cre-

briusque iteratae, praesenti ope et medicamentis potentissimis indigent. E febrili irritatione oriri videntur; et fortasse sedula ad regimen frigidum attentio, eas magnum in modum arceret. Ad eas sublevandas opium solum remedium efficax, ejusque magna copia necessaria apparet.

Cum eruptio inceperit nihil aliud possumus, nisi symptomata graviora levare; fieri enim non potest, quin morbus progrediatur, tamen aër frigidus est semper admittendus et potio refrigerans utenda. Alvus soluta modo antedicto teneri debet: si autem *Diarrhoea* occurrat, cavendum est ne praemature supprimatur, quam quidem nisi valde profusam tantummodo moderari oportet.

Faucium dolor, *Gargarizatione* cum *Melle* et *Aceto*, levare potest; usus quoque *Lactis* dolorem cum vehementior sit lenire compertus est. Quanquam symptomata per febrem secundariam nonnunquam

nonnunquam inflammatoria videntur, sanguis caute admodum et parce mittendus est; si enim pulsus languere incipiat, brevi ad maximam debilitatem vergit. Frequentius vero in hoc morbi gradu, symptomata putrida oriuntur, faciei tumor subito minuitur, salivae fluxus desinit, pustulae corrugantur et deprimuntur, intervalla earum pallida et livida, cum specie petechiarum et ecchymosis, oris halitus foetet, et corporis extremas partes subfrigidae et glutinosae apparent; hic quidem *Corticem Peruvianum, Vinum et Cardiacum* neque parce adhibere debemus. MORTON* non modo *Corticem Peruvianum Variolae* decessu, sed etiam dum pustulae maturescerent, si quid remissionis viderit, optimo cum effectu, administrabat. Maturus horum remediorum usus praesertim in gravissimo *Variolae* genere et ubi pustulae non facile oriuntur, plerumque valde prospere evenit.

Porro a quinto die, *Opium* bis quotidie dari et
alvi

* *De Variol. cap. 9. p. 250.*

alvi adstrictionem purgationibus et enematis removeri debet. Experientia magnam *Opii* utilitatem ad somnum inducendum, aegroti dolorem minuendum atque tollendum, quem cutis irritatio et inflammatio excitant, sat plane monstrat.

Vesicatoria ad symptomata urgentia sublevanda multum laudata sunt. Si manuum pedumque tumor, eum faciei justo tempore non sequatur; si salivae excretio quondam profusa, subito cessaverit, aut si glutinosa et difficilis ejectu sit, vel si dyspnoea valde urgeat, nil dubium quin vesicatoria quibusdam corporis partibus applicata, magno auxilio futura sint; haec etiam partibus pustulis coopertis imponenda; usum vero eorum quaedam incommoda sequuntur, gangraena iisdem in partibus saepe oritur, eorumque applicatio plerumque in levioribus casibus sat tuto omitti potest.

Quo pustulae cicatrices seu foveolas nullas
relinquant,

relinquant, eas spina, aut acu aperire, materiamque emittere propositum fuit, experientia tamen hanc consuetudinem ut efficacem minime probat. Unctio faciei oleo aequae inepta visa fuit. Certissima et fere sola via ad hoc consequendum videtur esse, morbum sapienti et cauto tractandi modo, quam maxime levem efficere.



respondit: est enim, aut ad hunc modum, in
 unum tantum propositum hinc respondere
 et in hunc constructivum in effectum in fi-
 nis quibus. Unio hinc est ad hunc
 vis hinc Christiana et hinc sola vis ad hoc
 conspicienda videtur esse in hunc spiritum
 et hinc in hunc modo, quam hinc hinc
 effectus.

